UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Iniurare

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

habitum Religioſum, eſt Simonia. Sed an hoc procedat in habitu Religioſorum Equitum, vide *verb. Simonia, num.* 7.

INIVRIARE.

Licet injurianti, reſpondere, mentiris.

1. VIde *verb. Contumelia.* Hic ſolum confirmamus, quòd à nobis dictum eſt. *verb. Compenſare, num.* 4. Quòd objicienti crimen falſum, vel occultum; liceat reſpondere, *mentiris*, nam quidam Theologus id negat, afferens exemplum Chriſti, qui à Phariſæis laceſſitus illa contumelia, *Dæmonium habes*, non reſpondit, *mentimini*, ſed *Ego dæmonium non habeo.* Probat etiam: quia hæc reſponſio cum inferatur poſt contumeliam, non habet rationem defenſionis, ſed potius vindictæ. Nos verò dicimus, optimum quidem eſſe, quod ſequamur exempla Redemptoris, reſpondendo, *non ſum*; non tamen ad id teneri: & illud *non ſum*, eſſe etiam velatam mentitam, cum autem injuria ſit expreſſa, poſſe propulſari expreſsè per verbum *mentiris*: quod in tali caſu ex circumſtantia actualis defenſionis patet non eſſe offenſivum, ſed defenſivum. Et ſanè Theologi cum Mendoza *in* 2. 2. *volum.* 2. *diſp.* 170. §. 14. *n.* 119. dicunt, quando blaſphemus objicit Deo mendacium, quod aliter refelli non poteſt, pertinere ad Religionis virtutem, reſpondere ei, *mentiris*, quod ſignum eſt, hoc verbum non eſſe ſic intrinſecè malum, ut aliquando honeſtari non poſſit. Præſertim, quòd talem injurium probare poſſim mendacem in judicio, & ut talem ad punitionem adigere. Et ſic tenet Hurtad. *ubi ſupr.* & alii. *part.* 6. *tr.* 6. *reſolutione* 16.

INQVISITORES.

Inquiſitores de jure communi debent habere annos 40.

1. INQUISITORES de jure communi debent eſſe annorum quadraginta *Clem. nolentes, de hæret.* & ſi minores eligerentur, electio eſſet nulla. Ita Zabarella *num.* 3. Sed cum hodie Inquiſitores Italiæ creentur à DD. Cardinalibus Inquiſitio. Romanæ de ſcientia Summi Pontificis, parum curandum eſt de ætate. Ita Farinacius *de hæret. quæſt.* 186. *nu.* 51. Qui verò creantur à Generali Inquiſitore Hiſpaniæ, ſufficit, ſi attingant annum trigeſimum, ex privilegio Summi Pontificis. Ita Zanardus *part.* 1. *cap.* 6. *quæſtione* 12. Quæ etiam ætas ſufficit in eorum Commiſſariis. Ita Molina *tom.* 5. *tractat.* 5. *diſputation.* 28. *numer.* 23. *part.* 4. *tractation.* 8. *reſolutione* 54.

Sed in Hiſpania ſufficit attigiſſe 30.

Secundum quoſdam verò debent eſſe magis Theologi.

2. Inquiſitores ſecundum Zanardum *parte* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 12. debent eſſe magis Theologi, quàm Juriſperiti, quia debent de propoſitionibus hæreticalibus judicium ferre. Ad proceſſum verò & examen adhibere poſſunt peritos Conſultores, &c. At Simanca *tit.* 41. *num.* 3. teſtatur, experientia jam in Hiſpania compertum eſſe, quòd commodius ſit, Inquiſitores Juriſperitos eligere, quàm Theologos. Et certè ipſi plura facere debent ut Juriſperiti, quam ut Theologi. *part.* 4. *tract.* 8. *reſolutione* 52.

Secundum alios magis Iuriſperiti.

An Inquiſitores incurrant excommunicationẽ extorquentes pecuniã prætextu S. Officii?

3. Inquiſitores extorquentes pecuniã prætextu officii Inquiſitionis, ſecundum Suarez *de cenſ. diſp.* 23 *ſect.* 5. *num.* 24 incurrunt excommunicationem *Clem.* 2. *de hæret.* Advertit tamen Sanctarellus *de hær. cap* 40. *dub.* 5. *num.* 26. aliquos contrarium docere, & multis rationibus probat, Inquiſitores in dicta *Clem.* non includi. Stando autem in ſententia affirmativa, puto cum Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 10. *punct.* 10. non incurrere excommunicationem, ſi accipiant pecuniam ſponte, etiam prætextu officii, oblatam: procurent aut extorqueant prętextu mutui, dati, crediti, &c. vel titulo etiam officii, extorqueant mutuum, &c. *reſol.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 28.

Et quid ſi accipiant ſpontè oblatam.

Procurent titulo Mutui?

Crediti, &c.

Etiam extorquendo ſub prætextu S. Officii.

4. In Hiſpania ſecundum Scacciam *de jud. lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 12. Inquiſitores, aliique S. Officii miniſtri, non ſolum pecuniam, ſed neque eſculenta & poculen-